

Q. 529, 8.

B. M. 7

IIa
10

7.

D. D. E. A.

(X 185366A)

DE

BIBLIOTHECIS,

Sententias Eruditorum conferent,

PRÆSES

M. CHRISTIANUS WILHELMUS
LOESCHERUS,

Sond. Thur.

ET RESPONDENS

GOTTLIBIUS PEZOLDUS,

Lengenfeldâ - Variscus,

ad Diem Febr. A. M DC XCVI.

Horâ Locoque consuetis.



VITENBERGAE.

EX FORMIS CHRISTIANI SCHRÖDTERI, ACAD. TYP.

N. 10





da
ptu
cuj
ut i
gru
alic
lec
tan
ori
qv
fac
ob
fu
pb
ca
fi
te
ph
pe
a
b
p





B. C. D.

§. I.

Libros & optimam & maximè necessa-
riam supellectilis eruditæ partem esse, si
quis in dubium vocare auderet, is vel solius Ex-
perientiæ testimonio abundè convinceretur.
Nam quid opus esset multa ejus rei demonst-
randa argumenta conquirere? cùm ipsi sine alterius ope, sui contem-
ptum gravissimè ulciscantur. Quæ etsi tanta non sunt, ut parem
cujuslibet libri utilitatem esse nobis persuadeant; efficiunt tamen,
ut idem fermè credamus, quod *Plinio olim L. 3. Ep. 5.* non incon-
gruè dictum videbatur, nullum Librum tam malum esse, quin parte
aliquâ prodesse queat. Atque hæc utrum etiam in reliqvas supel-
lectilis eruditæ partes conveniant etsi definire non audeo, certus
tamen de eo sum, nullam earum, magis necessitati inservire quàm
ornamento esse. Numi certè ut lapides & alias prætervehar, quan-
quam ad illustriorem reddendam rem literariam, multum omninò
faciant, quod in omni studiorum cursu ab Adolescentiâ *Peirescium*
observasse *P. Gassendus* invitâ ejus magnoperè deprædicat, ut pror-
sus ideo frustraneum *Philippi Berdaldi & Autoris Satyrici ab Eu-
phormione inscripti*, eâ de re dubium videatur, ejus tamen usu si
careremus, non propterea omnem nobis scientiam intercidisse exi-
stimabimus. Quibus enim subsidiis instructi Majores, adeò felici-
ter ad summum eruditionis apicem pertigerunt, anteqvàm numo-
phylacia exstrui, numorumque usus erui & exponi cepit, quod su-
periori demum seculo, sub Mediceorum Principum auspiciis fa-
ctum esse, fatentur *Laur. Pignorius Epist. Symb. XVI. & Ez. Span-
hemius de Ufu Numism. pag. 23.* in illis profectò & nos acquiescere
possemus, nisi humana curiositas, semper novi aliquid appeteret,
quod

A 2

quod

quod non prorsus infeliciter, qua numos ipsi cecidisse per equidem mirum est. Libros itaque tanquam & antiquitatis, posteritatisque applausu comprobatos, præcipuos sapientiæ custodes esse, ac imprimis etiam à studioso sapientiæ coli, & observari debere, vel inde nemo non agnoscat, suoque assensu confirmabit. Cujus rei cum nec ignari essent antiquiores, omni studio ac labore eò annisi sunt, ut ab interitus periculo Libros prohiberent, ipsorumque utilitatem, quæquam temporum edacitas vix permittura videbatur, ad nos propagarent. Natæ ex eadem curâ Bibliothecæ sunt, tanto humani generis inventæ bono, ut nullæ laudes sollicitudinem hanc dignè remitteri queant illi, qui primus de ipsis unquam cogitavit. Atque hinc etiam orta nobis est persuasio, non malè nostram collocatam iri operam, si eidem illam argumento, tantis exuberanti fructibus, impenderemus, atque de Bibliothecis, earum origine, statu hodierno ac utilitate brevissimis agere ingrederemur. Quod negotium quò facilius feliciusque eveniat, DEUM rogamus supplices, ut vires nobis ac benedictionem clementissimè elargiatur!

§. 2. In eo autem nos feliciores aliis pronunciamus, bonumque principio Omen interpretamur, quod Argumentum nostrum tam claro omnibusque noto nomine gaudeat, quod ab omni nos, tædiōsâ adeò Etymologias excussione liberat planè & absolvit. Nam etsi eo non sim animo, ut quodvis indagandæ Derivationis studium pro inani ac sterili sine fructu labore habeam, quod *Cartesiani* tamen (vid. *Georg. Guil. Leibnitzius de Emendatione Philosophiæ primæ*,) interque eos præcipuè *Glaubergius de Discrimine Philosophiæ Cartesianæ & Scholasticæ* mordicus defendit, cum ita sentientem, Veterum Philosophorum exempla satis superque redarguerent, *Platonis, Chrysippi, Aristotelis*, quos nempe originum ritè exquirendarum perquam studiosos fuisse monumenta ipsorum loquuntur, & Testium gravissimorum, *Alcinoi, Conringii*, *Epist. 46. pag. 436.* auctoritas manifestat; nequeo tamen, quin parte quâdam *Cartesium*, amplectar & explicationem nominis nec Lippis nec tonsoribus obscuri frustraneam appellem, pariter atque stolidum est, in clarissimâ Solis luce *διογενίσειν*, & Lucem aliis præter necessitatem accendere. Utar itaque felicitate meâ, & primitias Dissertationis, quas

quas alii otiosis plerumque circa nomen curis dedicant, rei ipsi destinabo, ac primò omnium de Bibliothecarum origine ac Historiâ dicere exordiar.

§. 3. Fuerunt equidem complures, qui idem ante nos Saxum volvere conati sunt, veluti *Hospinianus*, qui tamen in *Tr. de Bibliothecarum Origine* ita rem est persecutus, ut post messem amplissimam, non omni nos spicilegio voluerit exclusos. Fate-mur autem principio, ortus ejus longè omnium esse antiquissimos, adeò ut non veritus fuerit *Joach. Job. Maderus*, illos ipsi Diluvio Noachi priores facere, tantumque opinioni huic suæ tribuerit, ut integrum *de Bibliothecis ante Diluvianis Catalogum* texere, & pu-blico illum juri typis transcribere, non ausus solùm fuerit, sed ex parte etiam perfecit. Nolim ego tamen in re incertâ adeò esse confidens, merasque conjecturas tanti habere, ut suspicionem ab inde motam ipsi confestim veritati æquare audeam, nedum ante-ponere. Quamquam illud de Libris affatim ostendat *Thom. Ban-gius in Cælo Orientis*, neminem tamen Libris & Bibliothecis ean-dem fortè ætatem ascripturum opinor. Pari circumspeditione coram illis opus erit, qui nimium coarctare antiquitatem illarum conantur, nec eam ultra Aristotelis tempora protendere satagunt, quem sibi primum aliquam Librorum vim parasse, cum *Strabone Lib. III.* affirmant. Quod etiam ab Illustri *Conringio Epist. ad Baron. Bineburg. de Bibliothecâ Augustâ p. 84* nonnihil appro-bari, vix videretur verosimile, nisi me idem Loci illius *ἀνωψία* docuisset. Quibus verò longè iniquiorem *Guid. Pancirollum* esse judico, *Rer. Memorab. Bart. I. pag. 64* qui *Theophrastum Ari-stotelis* hæredem atque discipulum, copiosam primum Bibliothecam sibi collegisse, contendit. Sed quid in re perspicuâ longâ circuitione utamur, quando vel sacræ nobis Literæ plurimum oc-casionis suggerunt, falsitatem asserti illius patefaciendi, dum Bi-bliothecæ à *Nebemia* congestæ meminerunt, *Aristotelem* ætate lon-giùs exsuperantis. *L. II. Mace. c. II. v. 13. 14.*

§. 4. Hæc fortè alicui aures vellicabunt, ad indagandum, utrum hic non prima Bibliothecarum habeantur vestigia, quæ certæ cuidam de origine illarum opinioni præbeant fundamen-

rum. Et bene quidem *Theoph. Spizelius* primam hanc omnium inter Judæos solemnem fuisse observat *Diss. prelim. in Arcana Sacra Biblioth. relecta*; illis verò ut assentiar à me impetrare non valeo, quippe cui non ignota est sententia aliorum, qui *Pisistrato* præ ceteris assignant laudē hanc, & in eo proximè ad veritatem accessisse tam *Jonstano Polymath. p. 195.* quam *Maresio L. 1. Ep. 10.* videntur. Cui vero ex *Athenai L. 1. Polycratem, Samium, Euclidem & Euripidem* Poetam, adjungit *Wowerius Polym. Cap. XVI. p. 131.* Quamquam negari haut possit, amplissimam omninò fuisse, quam *Pisistratus* Athenis, dudum ante *Nebemie* tempora exstruxit Bibliothecam, nihilominus tamen ex eo nondum indubitato constat, primum eundem fuisse, qui tam egregiè, de literariâ re meruerit. Præsertim postquam à *Diodoro Siculo*, Scriptore in reconditissimis Ægypti Antiquitatibus versanti relatum legimus *Lib. I. C. 49. Osymanduan, al. Simandium*, (quem Ægypti Regem eundem cum *Amenophi* sive *Memnone*, antiquissimo Ægyptiorum Principe fuisse, pluribus evincit *Marshamus Can. Chron. Sec. XV pag. 427.*) inter præcipuos Thesauros, magni à se habitos, numerasse Bibliothecam, cujus fronti digna hæc nota tu curaverit inscribi: *ψυχῆς ἰατρειᾶ φαρμακοπολεῖα.* Quorsum & evolvatur *Guil. Saldenus de Libris & eorum Usu pag. 50. 51.* Neque tamen hic etiam acquiescendum censeo, & ipse pariter altius antiquitatem illarum repeterem, si in *ἀδύλω* Seculo, in quod omninò ingrediendum esset, mihi liceret esse tam perspicaci, ut pro conjecturis veritatem, & pro fabulis historias in Lucem proferre possem. In tantâ verò rerum obscuritate illud tamen divinare licet, antiquiores Bibliothecarum Autores, Ægyptiis vix haberi, aut certè, de aliis, nihil explorati ex omnibus Historiarum monumentis afferri posse.

§. 5. Quantum verò tenebrarum prima illarum incunabula nobis objiciunt, tantum equidem Lucis in reliquâ ipsarum historiâ deprehendemus. Postquam enim à *Ptolomæo* Rege, restitui Libris splendor quos præsertim habebat in deliciis, & ingens Voluminum numerus, ex omnibus terrarum angulis conquiri cepit, testibus *Gellio Lib. VI. Noct. Attic. C. 17.* & *Ammiano Marcell. Hist.*

L. 22.

L. 22. tantus illarum amor & alios, præcipuè verò Patres ac Pri-
mores æternæ Urbis invasit, ut nullis pepercerint sumtibus, ad
mortuos ejusmodi consiliarios sibi parandos, quibus cum, quo-
ties à publicis vacui negotiis essent, vel soli, vel una cum aliis se
oblectarent, quorum Indices ac memorabilia à *M. Terentio Var-
rone* consignata esse, post *Sospitrum Charisium L. 1. Gramm.* te-
statur *Jonsius Hist. Philos. pag. 224.* Præterea etiam Majorum
suorum Exempla secuti sunt Cæsares, ex quibus *Julius Cæsar*, &
Augustus, uti erant Principes Literarum amantissimi, illas etiam,
tot gravissimorum Bellorum curis præpediti, adeò non neglexe-
runt, ut Bibliothecam Romæ & græcis Latinisque Scriptoribus re-
fertissimam in Palatio publicarint, scribente *Suetonio in utriusque
Vitâ*, & *Ulpium Nerva Trajanus*, etsi animo nullis exulto literis pol-
lebat, Musarum tamen amore incensus, Bibliothecam congregit
instructissimam, quam & sibi cognominem Ulpianam esse voluit, re-
ferente *Heydmanno Comp. Hist. L. IV. p. 129.*

§. 6. Ut verò reliquos silentii involvam Sipario cum ex nar-
ratione *Andrea Palladii de Antiquit. Urb. Rom.* constet, septem &
triginta iis temporibus Bibliothecas Romæ fuisse; ab his præsertim
& talibus Musarum Patronis ac Promotoribus, Libris suis honor
ad nostram usque ætatem fermè illibatus stetit, quamvis non omni-
nò à periculis injuriisque liberi fuerint. Magnâ enim non modo
tempestate jactati sunt illis in seculis, quando Gothorum, Vandalor-
um, Hunnorumque imperia, cultissimas Europæ partes sub ju-
gum miserunt, verum etiam cum Barbaries totum prope Orbem
inficeret, fœdissimis opinionum monstris corrumperet, atque im-
mani quadam vi, una cum literis elegantioribus, omnes Bibliotheca-
cas in Exilium pelleret, dissiparetque, ut vel ideò, hæc de re non in-
juriâ conqueratur *Hobbesius Leviath. pag. 11. 17. 21. 40. 279.* Nec
minùs quoque in illas infanus Martis furor desæviit, tantâ quidem
cum crudelitate, ut plures sæpè ex præcipuis prorsus ad incitas a-
degerit, quod deplorandum cheu fatum Alexandrinæ olim jussu
Califi, quanquam nullâ coactus necessitate à nobis abeat *Salmuthus
ad Pancirollum. Rer. mem. Part. 1. p. 66.* & Heidelbergensi per milites
Hispanos obtigisse, non sine maximo mœrore *Eda. Poccokius in
Hist.*

Hist. Arab. & Conringius de Academiis memoriae prodiderunt. Quot denique incendiū nobis abstulerit, non obliti, graviter adhuc cum *Tb. Bartholino* indolemus vid. *Diff. ejus de Incendio Bibliothecae suae Hafn. 1690. ed. pag. 10.* Nec etiam dememinimus inundationum, praesertim Lovaniensis illius Anno 1573, quae cum alias complures tum vero insignem *Guilielmi Canteri* Bibliothecam oppressit, quam pro mirifico in libros ab infantia amore amplam & elegantem effecerat, memorante *Adami Vit. Philos. p. 288.* Sunt profecto & memoratu dignae, & lacrymis, quas Decus illud Eruditorum *Morhofius in Polyb. L. 1. C. 5. p. 4.* prolixè exponit Bibliothecarum jacturas, quibus etiam, ne quid sciendi cupido deesset Scriptores Deperditarum alios annexuit.

§. 7. Etsi autem injusta haec in immerentes Libros saevitia, plurimos nos spoliaverit, de eo tamen & nobis, & omnibus Eruditis gratulamur, quod amorem erga Libros extinguere, atque omnem ita reflorescendi Bibliothecis spem, intervertere non potuerit, quam Palmae potius instar sub molestissimo onere hoc in plurimorum animis revivuisse cernimus atque gaudemus. Quid enim aliud sibi hodie volunt Bibliothecae tam frequenter, tantoque cum apparatu & sumptibus instauratae, quas majori cum diligentia enumerant atque depingunt *Ludov. Jacobus Tr. de Bibliothecis, Lobmejerus de Bibliothecis* & alii; qui proinde a rerum illarum cupido evolvi praeter ceteris a *Phil. Labbeo in Bibliotheca Bibliothecarum* magno allatis numero, merentur. Quis enim nescit, quanta hodie inter Magnates obtrectatio vigeat, dum alter alteri gloriam locupletiori Librorum suppellectili praeripere conatur. Gallos equidem laudis istius cupidissimos fuisse, non uno ex argumento dispalescit. In publica versatur luce nescio an ridenda jactatio *Jacobi Labbei*: In solis Parisiis plures Bibliothecas inveniri, quam vel in Italia & Germania, imò in omnibus Veterum aetate unquam extiterunt. Cui perquam affinia, ab Anonymo quodam in *Tr. des plus belles Bibliothèques de L'Europe à Paris. 1685.* traduntur. Certè illustris Vaticana, quam *Angelus Rocca* & *Mutius Panfa* in Libris de eadem editis inani opera delinearunt, ex *Judicio Morhofii Polyb. L. 1. p. 34.* nec non celebris illa a *Cosmo & Laurentio Magnis* Hetruriae Ducibus fundata, Patavinae etiam publicae ac pri-

ac privatae, & quæ apud Venetos inclaruerunt, de quibus cum primis
Jac. Phil. Thomafinus in duobus egit Tractatibus, quorum uterque
Utini Ao. 1639. alter, alter *A. 1650.* lucem aspexit, cum aliis Italiae Bi-
bliothecis, quarum Catalogum apud *Huguetanum* vide *Itin. Ital.*
Lugdun. 2681. parum abest, quin eo me adigant, ut credam arrogan-
tiae potius, quam veritati, verba hæc Labbei accepta esse ferenda.

§. 8. Quid verò de Germanicis dicam, quæ apud privatos sæ-
pè homines nec numero, nec præstantiâ sunt inferiores illis quæ in
Galliâ à Proceribus Magnatibusq; conduntur? annon proxima sunt
miraculo, quæ de *Gerh. Job Vossio, Sorberiana* memorant pag. 229,
Eum 24000. Librorum Bibliothecam possedisse. Cujus Exempli
plures etiam reperiri non est quod ambigamus. Quod si denique
ad publicas progredi libuerit, cui quæso secunda Guelpherbyta-
na est, quam provida serenissimorum Ducum Brunsvico - Lunebur-
gensium cura & in credibilis munificentia, supra quam dici aut co-
gitari potest, amplificavit, ut maximam ideò eandem totius Orbis
appellaverit, ex eadem Gallorum gente oriundus, *Chapuzeau Part.*
III. Europâ suo tempore vivente p. 288. cujus rei egregia omnino
testimonia *Conringius* posteritati reliquit. Nec prætereunda
est Vindobonensis Cæsarea, cujus Thesaurus, laudabili sane co-
nata *Petrus Lambecius* orbi aperuit universo. Et quanta quæso
illarum in Academiis & Gymnasiis celebrioribus seges se nobis
pandit atque ostendit? Quibus de Catalogi hic illic prodeuntes
affatim loquuntur. Evolvantur si integrum erit, quæ de *MSCis*
Lipsiensis Paulinæ, B. Fellerus (cui tamen per omnia par, si non
superior est, quam amplissimus ejus Urbis Senatus sub *Carpzovii,*
Graviiq; CL. Virorum tutelâ publicæ utilitati consecravit de Fran-
cofurtanâ ad Viadrum *Beckmannus,* de Helmstadiensi *Christ.*
Heydmannus, de aliis alii, eruditis communicarunt, quibus & Bran-
denburgica Electoralis ad Spream, Regiomontana, & Norimber-
gensis addantur, quæ omnium mihi assensum facile concilia-
bunt. Digna etiam est, quæ inter memoratas locum obtineat non
postremum Augustana, quæ an *Marco Velfero* plus laudis, quam hic
illi famæ debeat, ignoro, & Cygnensis denique Bibliotheca à Senatu
amplissimo, florenti Gymnasio sapienter dicata, cujus indices, primâ
occasione, studio Rectoris meritissimi *M. Dav. Winteri,* optimi

quondam Præceptoris mei, & æterno colendi obsequio foras pro-
dibunt. conf. *Ant. Teifforius de Autoribus, qui Libros, Indices, Biblio-
thecas, &c. ediderunt 1686.*

§. 9. Atque hæc vel hæsitantem in eo confirmare poterunt,
non solas esse Gallias, quæ plurimis, pretiosissimisque Libris super-
bire debeant, sed reliquas ipsi gentes, Germaniam imprimis, invi-
dendam hanc gloriam si non prorsus extorquere, ambiguan tamen
facere. Hispania equidem nunquam adeo elati Spiritus sui pertæsa
fuit, ut non aliquando ad laudem hanc magnoperè aspiràrit præ-
sertim cum nondum excidisset, plusquam Regiâ Laurentii Mona-
sterii, in Escuriali Bibliothecâ, quam *Bornmeisterus in Pharo Geogr.*
p. 114. describit. Nec defuit ideo latissimè patens materies *P. Ludov.*
Jac. Carmelite, cum de *Bibliothecis Hispanorum* agere aggrediretur,
quem prætermisum à *Labbeo*, & *Spizello* in *Labbeana Designatio-
nis Supplemento*, *Thomas de Pinedo Præf. in Steph. de Urribus*, indi-
cavit. Locupletior eidem est Britannia, quæ vel in solis Ufferianâ à
Rich. Parr, in *Vitâ Ufferii*, delineatâ, Cantabrigiensi, & Oxfor-
denfi Bodlejanâ, per *Woodum* descripta habet, quod immoderatis Gallo-
rum jactationibus opponat. conf. *Is. Casaubonus Epist. 754. p. 978* De
reliquis taceo, nec quicquam de Turcis, Arabibus Fessanis, Sinis &
Africa incolis aspergo, ne mea hic fecisse videar, quæ elegantiori
stylo, fœcundiorique ingenio retulit *Spizellus Diss. cit. num. IV.* nec
multis repetam, quæ *Christoph. Arnoldus Anim. ad Rogerii Paga-
nismum detectum Cap. XXXI. ex Almeida Epist. Ind. p. 178.* de copio-
sissimâ Bonziorum Sinensium Bibliothecâ recensuit; Unde quan-
tum satis est, æquus arbiter æstimare poterit, non in squalore sem-
per & situ perpetuo sepultos jacuisse Libros, sed in summorum sæ-
pe Principum contubernium ascitos, & in flore suo, hoc præsertim
tenore temporum benignè conservari.

§. 10. Contendenti verò, cum præsentì rerum statu, avitam
Majorum memoriam, curiosa se quorundam lis propinat: Ultræ ex
illis Palma florentissimarum Bibliothecarum deferenda sit? Non
defuerunt enim, qui nescio quâ correpti religione, Veterum causam
susceperunt agendam, nec de ponte hoc de jiciendos Senes esse exi-
stimarunt. Utque injuriam ab illis averterent, numerosissimas Li-
brorum copias, quibus instructas olim Bibliothecas fuisse, historia-
rum

rum monumenta ingenti quidem cum discrepantiâ, quam probè observavit *Spizelius Diss. cit. Num. I.* docent, dissentientibus obverterunt. Quorsum præ ceteris Principem Antiquariorum, Virum, ex elogio Symboli, antiquâ fide & constantiâ *J. Lipsium* propendisse, haud difficulter crediderim. Præsertim cum responsionibus Adversariorum animosè se opposuerit, illasq; omni studio labefactare fuerit annisus. Illi enim opinati, nullam plane Antiquitati injuriam fieri, si gloriâ ab ipsius meritis alienâ privaretur, non sustinuerunt, collectâ se Exemplorum nube, pervinci, negaruntq; illa, quicquam, ad demonstrandas Librorum copias conferre, cum τὰ βιβλία non Libros aut Volumina, capitibus singulis absoluta, sed τμήματα potius & κεφάλαια designare debeant, quo sensu Libri 12. Æneidos apud Maronem Libri nominantur, veluti latius deducit *Saldenus de Libris p. 23. 24. ad 27.* Quicquid igitur his unquam Lipsius obstruxerit, nullibi tamen voti sui compos factus est, nihilq; hæctenus obtinuit, quam ut redargueretur à *Conringio Lib. cit. p. 95.* & intra Veritatis Limites coerceretur.

§. II. Nec enim in sanâ ratione aliquod præsidium sperare habent, quæ fidem suam superare nõ dissimulat, tantos quondam Librorum acervos cogi potuisse, cum pertinax calami sedulitas, nullis à Typographia compendiis sublevaretur. Huic enim soli nos Bibliothecas nostras debere ingenuè profiteamur, invento nempe mirè commo- & parturientibus Doctorum ingeniis feliciter obstetricante, uti pluribus declarat *Lansius Orat. II. pro Germaniâ p. 51. 52.* & *Bæclerus Orat. XI. de Typographiæ inventione, divinitate ac fatiis*, ut adeò, cur utilitatem ejus tantoperè elevant, justam prætereundere causam omninò nequeat, *P. Firmianus Sec. Genio p. 244.* Quamquam igitur hîc veritas ab antiquorum partibus secedere nos jubeat, quos neque gloriam, hanc ipsos aucupaturos opinor, si arbitrio ipsorum disceptatio esset finienda, eâ tamen laude præ omnibus digni videntur, quod majori longè Librorum amore flagraverint, ac potiori jure studium, sibi Bibliothecarum vendicent, quas tantis sibi sumtibus, tanto labore ac temporis impendio acquisiverunt, quod neminem hodie facturum autumo, nisi Typographia & sumtus laboresqve minueret, vacillantiqve studio percommodè subveniret.

§. 12. Sed redeundum ex hoc diverticulo, ad argumenti nostri

arcem est, ac de præcipuis Bibliothecæ partibus paucis explicandum. Præter Libros autem nemini non cognitos occurrunt etiam Manuscripta, in sine illarum ornamentum, quæ tamen unius exempli non sunt, ac diversimodè proinde considerari debent. Sunt alia, quæ propriâ Autoris manu ex arata vim vocis genuinam servant; alia verò quorum lineas etsi Autor ipse non duxerit, quia tamen scripta sunt, & obsoletis literis antiquitatem quandam præ se ferunt, Manuscriptis communiter accensentur. Quod verò non promiscuè de omnibus accipi velim, sed maximè de illis, quorum ætas exitu Seculi XV. non est recentior, quam nempe ultra hoc extendi vetat *Job. Mabillonius de Re diplomaticâ C. V.* Ne tamen incertitudo circa ætatem MSCI, omnem ejus usum nobis eriperet, sapienter à nonnullis cautum est, qui certas excogitarunt notas, unde & ingenuitatis & imposturæ, si quæ fortè suberit, vestigia certè dignoscamus, quam in rem in consilium omninò adhibenda est elegans, *Sarravii Epistola p. 235.* quæ *CL. Salmasium*, ne longius hac in re sententiam occultaret animi monuit ac provocavit. Ceterum de illorum utilitate & commodis pulchre edisserit, *Car. Cas. Baudelotius L. de Peregrinandi & Studii Antiquitatis Utilitate p. 232.* quam cum illud non parum impedire videretur, quod pallescentibus plerumque, & ab invidioso pulvere, extinctis fermè literis apparerent, benè non nemo Eruditis prospexit, invento artificio, deletam illorum Scripturam, ut lectu evaderet obvia, denuò excitandi, quod *Ephemerides* referunt *Gallicanæ Ep. XXXV. ad Ann. 1676. p. 407. 408.* Et hæc quidem suo in loco relinquimus, illorum tamen non possumus subscribere consuetudini, qui cujuslibet hominis Libros, typis nondum exscriptos MSCtorum nomine insigniunt, contra receptum ab Eruditis Usum, quem temerè sibi hic violandum sumserunt.

§. 13. Quamquam verò non diffiteamur, non facilè quicquam inveniri, magis ad Bibliothecas Libris necessarium, nondum tamen ideò extra disceptationis aleam ponitur controversia, utrum ex illis alteri prævalere debeat, & annon Bibliotheca solo MSCtorum numero reliquas supergressa in perfectis haberi queat? Melius quidem mihi consultum foret, si ulcus hoc planè intactum præterissem, quam ut inficeto judicio, gravissimam inter *Conringium Epist. ad Boineb.* qui negare illud non dubitavit, & *Morbosum Pelyb. L. I. C. 6.*

p. 65.

p. 65. disensionem componere nunc auderem; Quia tamen jacta est alea, recipio me ad auctoritatem *Theoph. Spizelii*, Viri non minus Eruditionis Famam, quam judicii exasciati laude clarissimi, qui in *Diss. cit. num. II. X.* non quidem pro potiori perfectionis parte MSCta venditat, interim à debita ipsis reverentia nihil derogari debere contendit, quod neque *Morhofium* cum omnibus Eruditis inficias iturum bene hariolatur.

§. 14. Quemadmodum autem in MSCis Codicibus circumspectione, ita praesertim in Libris prudenti omnino selectu opus est. Sunt equidem non pauci, qui *ὄχι ἀλέγοντες*, quid studiorum suorum ratio deponat, nec implorato Sapientiorum consilio, quicquid ipsorum oculis-tabernae objiciunt, nova praesertim, & quae characterum venustate gratiam Spectantium emendicant, protinus coemunt, inveniunt pro Thesauro carbones. Et hi plerumque numero, non pondere Bibliothecas metiuntur, atque in sinu gaudent, cum tot Librorum Centenariis Catalogos suos superbire videant, etiamsi toto anno ne micam inde utilitatis haurire possint. Quibus ego meliorem jam mentem apprecarer, atque ut cautius imposterum mercari discant, suaderem, si vel minimum spei, ineundae apud illos gratiae mihi affulgeret. Interea tamen ne profus *ἀσύμβολοι* hinc discessisse videar, quanquam haut facile in arduo hoc & multiplici negotio Regula praescribi queat, illud ante omnia, & quasi in universum observari velim, ut quisque & conditionis & studiorum suorum rationem habeat, ac non nisi postquam necessitatis imperio satisfactum est, ad ea, unde ornatiorem reddere, & locupletiolem doctrinam suam poterit paranda progrediatur. Quod etiam monitum est *Jani Caeili Frey in Viâ ad Scientias expeditâ Part. IV. Quest. II.*

§. 15. At enim verò non negligendum discrimen est privatas inter, & publicis usibus Bibliothecas inservientes, quippe quae, cum majoribus instituuntur sumtibus & communem omnibus utilitatem polliceantur, proinde nec unius, sed omnium studiis accommodari debent, & cuilibet Libro, qui non planè scurrilis & perniciosus est, locum concedunt. In quo selectu tamen non audiendi sunt indices Pontificum expurgatorii, qui adeo interdum inepti sunt, ut quid prohibere debeant nesciant ipsi, & ipsas Paparum Bullas damnare

nonnunquam audeant, quod Anno 1664. factum esse, ref. *Hobenegg. Hist. Papatus* §. 289. conf. *Francius Tr. de iisdem* evulgato.

§. 16. Verùm ne longiùs dilabar ab instituto non equidẽ me fugit, plures inveniri, qui præter libros & MS Cta, imagines etiam Excellentium Virorum, ac facinorum ad Bibliothecas reducunt, ob insignem utilitatem, quam labili memoriæ præstare solent. Quo pacto & iisdem usus est *Peirescius*, ut si de CL. Viro, præclara quædam legeret, reminiscentiã ejus vultus atque habitus, tenaciter illa insingeret, scribente *Gassendo in Vitã ejus p. 10.* Huc pariter *Leonem X.* digitum intendisse affirmare non vereor, quando *Andree Fulvio* in mandatis dedit, ut CL. Virorum Icones ex numis in *L. Promptuario delle Medaglie* colligeret, qui & Romæ & in Germanicã Galliãque prodiit, miserè tamen à Sciolo quodam in Lugdunensi Editione depravatus, vindicatusque iterum à *Wagenfeilio de Re monetali Veterum. C. 3.* Sed plura hæc de re dicere non audeo, quam nempe Principes Polyhistorum *Lipsius, Conringius* atque *Morhofius* ita confecerunt, ut nihil planè reliqui fecisse mihi videantur.

§. 17. Quando igitur de partibus ad Bibliothecam requisitis confecta jam res est, atque nihil planè præter curam, eandem exstruendi, superest, volunt cordatiores, ut primum de loco commodo idoneoque dispiciatur. Ubi præsertim *Victruvium* ut consulamus svadent, ita monentem: Bibliothecis ejusmodi præsertim locus diligendus est, qui versus Orientem spectat, nullisque ventis, quam ab eadem plagã flantibus patet. Nempe ejus rei duplicem nos fructum fore percepturos, partim, ut commodius ibidem matutinis studiis possemus vacare, partim verò ut Libri non tam humidis vaporibus, fitui & squaloribus debeant esse expositi *L. 6. C. 7. Architect.* Nos nihil in asserto hoc improbamus, eo tamen usq; illud valere nolumus, ac si alibi locorum nefas sit Libris domicilium constituere, cum quicquid illis injuriarum impendere à ventis & situ videatur, perfacile diligentia & frequenti repurgatione Bibliothecariorum averti queat.

§. 18. Major tamen sollicitudo adhibenda erit, quando jam in ordinem redigendi sunt, & suus cuique Libro locus ita assignandus est, ut facili negotio cuilibet quærenti sit obvius. Quod etiam negotium, plurimorum exercuit ingenia, quorum fœcunditas, elegantes interdum inventiones nobis lucrata est. *Gabr. Naudæus & Franciscus*

de

de Araz pecul. de disponendâ bene Bibliothecâ Libros composuerunt, plurimosq; tam olim, quam hodiè nacti sunt, eandem cum ipsis viam diversis tamen gressibus calcantes. Quorum maximam non modo partem, verum etiam quid singuli præstiterint eleganti cum *Struon* recensuit *Morbof. Polyb. Lib. 1. C. IV.* ut proinde satius sit tacere, quam Iliadem post Homerum meditari. Nequeo tamen mihi temperare, quin illud paucissimis adjiciam, multa esse, quæ in Consilio illorum, qui juxta Alphabeti literas ordines digeri volunt, possent desiderari. Ex quibus *Janus Cecil. Frey* natione Gallus in *Viâ ad Scient. regiâ P. IV. Q. 4.* ita libros collocari jubet: Fiant Cellulæ, inquit, ad Ordinem Alphabeti & L.R. imponantur Libri Rhetorici, ejusque Autores pariter juxta alphabetum disponantur, ut *Arist. Demost. I. focr. &c.* In quo illud unicè observamus; nempe si ad Alphabeti normam ordines Librorum instruendi sunt, necesse erit, ut omnes unius Autoris editiones in unum cogantur locum, & minimæ maximis, mediæ minimis misceantur; quod utrum jucundo ingredientibus spectaculo esse queat, aliorum esto judicium.

§. 19. Illud verò in præcipuâ elegantis ordinis parte semper habuerunt, ut ea Librorum sit collocatio, quæ oculis non nihil abblandiatur, tædiumq; quod repetita sæpe Librorum evolutio ipsis conciliare solet, abigat, & pulchritudine suâ profliget. Quâ insuper de causâ ad Bibliothecæ ornatum, certum voluerunt colorem adjici, qui contractæ ab oculis satietati feliciter possit occurrere. Unde etiam *Lipsig* viridem præscribit, *de Biblioth. C. 9.* quem visui admodum salutarem esse, communis fert opinio. Verum ego & alios hic adhiberi posse contenderem, si modo visum recreare, & torporem oculis possunt excutere. Quin imò Libertatem nemini adimendam censeo, & eum à quovis colorem usurpandum, quo se imprimis delectari posse sentit & excitari.

§. 20. Quia verò nos ad finem, chartæ angustia properare jubet, coronidis loco de utilitate Bibliothecarum breviter edisseram. Reprimenda n. sub finem illorum est iniquitas, qui omne in illas collocatum studium in damno potius, quam lucro deputari volunt, nequicquam inde boni expectandum esse, sed operam solum & oleum perire affirmant. Cujus erroris etsi à quibusdâ imprimis à *Conringio l. c. p. 82. 84.* rei agantur *Seneca Ep. 2. & L. de Tranquill. animi C. 9. Luc.*


ax 77a 10
anus & Ausonius, albo tamen *Morbosi* calculo ab eadem sunt abso-
luti, *Polyb. L. I. C. 1. p. 22.* Qui p. 45. longè majori jure hoste Bibliothe-
carum judicat *Claud. Verdierium in Cens. Autorum p. 168.* miseris ta-
men & inanibus contra illas armis instructum. Majus verò pericu-
lum Bibliothecis ab autoritate *Cartesi* imminet, qui etiam Libros à
se haberi & legi testatus est (pour divertissement) non ut promo-
veret studia, vid. *Revius Cartesianus, Part. I. p. 307.* & *Tob. Andrea
Meth. Cartes. p. 885.* cujus opinionis defensores quoque alios com-
plures adducit *Guil. Saldenus de Librorum Usu C. 7. p. 203. 207.*

§. 21. At enim verò nihil autoritati tribuendum est, ubi Magistra
rerum Experientia obloquitur, quæ profectò infinitis hætenus ex-
emplis *Franc. Modii, CL. Salmastii*, vid. *Hanckius de Rer. Roman. Scri-
ptoribus L. I. C. 90. num 5.* & aliorum, quam multus Bibliothecarum
usus sit abunde comprobavit. Certum quidem est, non omni ætati
permittendum esse, ut in ampliores & locupletes se Bibliothecas
abdant ipso studiorum initio. Quoniam observante *Maresio L. I. Ep.
30.* delicatos facit in studiis Juvenes, & desultorios, corrumpitque
adeò ut vagabundi semper sint, nec secum morari possint, nec libri
unius Lectioni constanter inhærere. Quicumque verò jam funda-
menta Eruditionis suæ jecerunt, illis dici non potest, quantum utili-
tatis afferat, quàm difficillima faciliora reddat, & in omni rerum sci-
entia eosdem confirmet. Sunt enim universæ Eruditionis quasi pro-
mæ condæ, quæ literas pereuntes tueri & Libros servare incorruptos
possunt, vid. *Fr. Balduinus de LL. Constantini M. L. I. p. 46. ad 49.*
injuriasq; per aliorum latrocinia ipsis illatas feliciter manifestare.
conf. Summè Venerandus Dn. Parens de *Latrocinis in Script. Eccl.
passim & præc. §. 14. 17. 19.* ut reliqua taceamus.

§. 22. Meritò igitur in illorum invidiam invehuntur sapientes, qui
clausis Bibliothecarum foribus, omnem ipsis utilitatem intercipiunt, nec
cuiquam earum copiam fieri patiuntur; Tantoq; magis deprædicanda isto-
rum est benignitas, quorum Bibliothecæ omnibus Eruditis patentes sunt,
quive suo illud Exemplo firmant, quod olim *Job. Thom. Freigius* cancellis
Librariis inscripserat: *Communia bona*; veluti de *Mirandulanâ P. Crinitus
de honesta Discipl. L. II. C. 2.* *Rocchianâ Erythreus Pinac. P. I. p. 106.* *Bona
garlianâ Frid. Spanhemius Ep. Epist. Borgarsii præmissa*, & *Pithæanâ Bona
garsius Epist p. 39.* referunt, quorum auctoritatem secuti, omnem
erga Bibliothecas hostilitatem eludimus ac flocci-
pendemus.

S. D. G.

Wm



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

KODAK Color Control Patches © The Tiffen Company, 2000
Kodak LICENSED PRODUCT
 Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



da
 ptu
 cuj
 ut i
 gru
 alie
 leſ
 tan
 ori
 qv
 fac
 ob
 fu
 ph
 ca
 ſſi
 te
 pl
 pe
 cū
 b
 p

